



**A**Zo magna corporis & animi fortitudine fu-  
it præditus. Cum itaq; Vratislaus Bohemiæ  
rex, & Conradus Moraviæ marchio Austriam ua-  
starent, atq; Leopoldus Pulcher eius nominis ter-  
tius, & in ordine quintus marchio Austriæ à Pop-  
pone Treuirēsi Archiepiscopo suo cognato auxili-  
liū peteret, Poppo ei hunc Azonem cum magna  
militari manu ex Treuiri misit. Huius uirtute Leo-  
poldus usus, breui Boemos, Bauaros, et Hūgaros  
Austria eiecit. Postea aut uictoria potitus Azonē  
ob res fortiter gestas secū retinuit, atq; eū cū suis  
posteris Mareschalckum & pincernā Austrię con-  
stituit. Vt ergo Azo percepti honoris & beneficij

causa Deo gratias perolueret, anno 1083. templum in honorem Apostolorū  
Pfulippi & Iacobi cōstruxit, in eo Austriæ loco quod uulgò Atzmanfuisen  
dicitur. Iuxta id templum Azonis nepotes post aliquot annos arcem miro o-  
pere extruxerunt, & nomine mutato Chuonring, à magnitudine & fortitudi-  
ne fundatoris, appellarunt.